



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Silvester Conf. 26. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

dicatus. jamque protracto ultra mediam noctem colloquio is expiraverat, Venerique cesserat; cum fores nuntius pulsat, admittitur, auditur, & pernae frusto ab inadvertente donatus dimittitur. Nimirum, aiebat ille ad alios, hoc est, in Veneris odium carnem edomare; simul carnem è sinu parabat producere, cum ecce piscem ostentat, jamque pisce suo magis mutus se ipsum damnat. Inambulabant aliàs animi causâ, & cadentes ex alto Rheini aquas arbitrabantur; cum geminas inibi animas volucrem indutas torqueri cognoverunt. Vix pro his ad aram fecerunt, & ad cælos visæ sunt evolare. Ceterum CONRADVS priusquam obiret, GEBHARDO nobili adolescenti sedem suam insidenti vates fuit, seridè id post se facturû, quod nunc per ludum faceret. Dum ad aram sacrificat, delapsus araneus in calicem se infert. quid faceret? eodem poculo & vita & mors propinabantur. Bibit tamen, & imperterritus à sacris mensæ accumbit. Ibi omnibus admirantibus ex ore araneus innoxius exit, meritò pedem efferre iussus à mensâ, quem invocatus intulerat. *Ex Membran. Eccl. Const.*

Opera misericordia, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis semper tenenda sunt; sive cum in publico sumus, sive cum in domo, sive ante homines, sive in cubiculo; sive loquentes, sive tacentes; sive aliquid agentes, sive vacantes. S. August.

B. SILVESTER CONF. 26. Novembris.

OCulos & aures advertite omnes Veneris columbi, & quam vos in aliis, in vobis alii depereunt faciem, in alienâ cum SILVESTRO con-

B b

templa-

templamini. Auximi natus in Piceno vivebat, imò moriebatur SILVESTER, formarum elegantium idem amor atque amator. Fortè sepulchrum vespillones aperuerunt, adolescentis nobilitate & divitiis inclyti, & formâ dum viveret ad miraculum exculti. Hujus spectaculi arbiter SILVESTER, cùm occidisse oculorum tam lucidas stellas, defluxisse turpiter aureos illos capillos, turbatam putore illam frontis serenitatem, expirasse illam oris ambrosiam, illum genarû dulcissimum risum, illum denique, quo tota urbs ardebat, ignem omnem in pauculos subsedisse cineres videret; *Heu mihi!* exclamavit, *nisi cum mente sanâ oculos etiam abstulit Venus, in hoc speculo meum video vultum. Video planissimè. Sum, quod hic fuit: & verò ero non multò post, quod hic est.* Verba hæc gemitus interruperunt, lacrimis deinceps loquentibus. Jamque patriâ relictâ solus deslere incepit, quòd cum multis peccaverat. Mox hujus etiam instituti socios invenit, quos undique miraculis accivit tenuitque. Namque, quos flendo ipse corrumpebat oculos, reddidit aliis amissos: quamque bibebat aquam, vinum aliis non semel voluit esse. Denique quid multis? rectè vivere à mortuo didicit. *Ex Ferrar.*

Inclinemus nos, & oculos in sepulchra dejiciamus, & natura nostra mysteria cognoscemus. Confusos ac permixtos ossum acervos & calvarias carnibus exutas intuebitur; hac intuentes nos ipsos in illis, tamquam in speculo, contemplantur. S. Ephrem de Vitâ spir.

S. JA-